Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26121
Copyright: Admont, Benediktinerstift

omnia ligna siluarum. ligna semper florentia uiriditate meritorum. sicut illud lig
num quod plantatum est secus decursus aquarum. cuius folium non defluit quia tota
in eo fructus exuberat. Hic ergo paradysus est; locus autem eius in quo est plantatus.
dicitur uoluptas. Unde et sanctus dauid ait. Et torrente uoluptatis tue pota
bis eos. Legisti enim quod fons exiit ex eden procedit. qui rigat paradysum. Hec ergo
sanctorum ligna que plantata sunt in paradiso. quasi profluuio quodam torrentis spiritus ir
rigantur de quo etiam alibi ait. Fluminis impetus letificat ciuitatem dei.
Est autem ciuitas illa que sursum est ierusalem libera est. in qua diuersa sanctorum merita
pullularunt. In hoc ergo paradyso hominem deus posuit quem plasmauit.
Intellige etiam quod non eum hominem qui secundum imaginem dei est posuit. sed eum qui
secundum corpus. Incorporalis enim in loco non est. Posuit autem in paradyso
sicut solem in celo expectantem regnum celorum. quemadmodum creatura ex
pectat reuelationem filiorum dei. Ergo si paradysus est in quo erant exorta
uirgulta. uidetur paradysus anima esse que multiplicat semen acceptum.
in qua uirtus una queque plantatur. In qua erat etiam lignum uite hoc est sa
pientie. sicut dixit salemon quod sapientia non de terra exorta est sed de patre.
Est ergo splendor lucis eterne et manatio omnipotentis glorie. Erat autem lignum sci
entie boni et mali in paradyso. Sic enim habes quod produxit deus lignum spe
ciosum ad aspectum. bonum ad escam. et lignum uite in paradyso. et lignum sci
entie boni et mali. Postea uidebimus utrum et hoc lignum speciosum ad as
pectum. et bonum ad escam fuerit sicut cetera. Cum enim loci hoc oportunius dis
putabitur. quod hominem ex hoc gustantem ligno inuenimus esse deceptum.
Interim nichil habemus quod nunc reprehendere debeamus. et si rationem scire
non possumus. Neque enim in hac creatura mundi si qua nobis difficilia intel
lectu uidentur. et incomprehensibilia ingenio nostro temerario quodam de
bemus condempnare iudicio. ut creaturam serpentium uenenatique alicuius
animantis. quippe homines qua ratione singula queque sint facta
intelligere adhuc et scire non possumus. Sic ergo et in scripturis diuinis non
facile reprehendamus aliquid quod intellegere non possumus. Sunt enim plu
rima que non nostro ingenio metienda sunt. sed ex altitudine diuine dispo